

# Archives d'Anjou. Recueil de documents et mémoires inédits sur cette province publié sous les auspices du Conseil général de Maine et Loire, Cartae de Relliaco, Nr. 12

Noverint presentes et posterī hujus nostri Majoris Monasterii habitatores, de passagio quod habebant in Ligeri apud Chelziacum Gaufrēdus Chainardus de Lengiacō et quidam Sigebrannus, quod alter eorum, id est Gaufrīdus Chainardus, Dei inspiratione preventus dedit Deo et beato Martino et nobis partem suam, id est medietatem illius passagii; altera enim pars erat predicti Sigebranni. Hoc inquam concessit nobis predictus Gaufrēdus in parte sua perpetualiter optinendum, ut de omnibus rebus nostris dominicis ibidem per aquam in quocumque vase transeuntibus, nullum ex toto passagium persolvamus. Fecit autem predictus Gaufrēdus hoc donum concedente uxore ejus Ermensende et Nivia uxore filii sui Mathiae Chainardi, qui eo termino finierat, quae videlicet Nivia habebat in dotalicium suum medietatem medietatis ad eundem Gaufrēdum pertinentis, id est quartam partem totius insimul passagii. Hoc etiam concessit quidam Girardus nepos ipsius Gaufrēdi. Fecit autem sepepredictus Gaufrēdus hoc donum pro anima sua et pro animabus uxoris suae et uxoris filii sui et maxime pro anima ipsius filii sui Mathiae, quem supradiximus eo termino finisse, et pro animabus antecessorum et successorum suorum. Hoc viderunt et audierunt, tam ex parte ipsius quam nostra: Johannes Pauper, Hugo li Druz, Rotbertus Arraldus, Radulfus faber, Guarinus filius Hildiardis, Joslinus de Maineriis, Rainaldus Doardus famulus Majoris Monasterii, Guillelmus carpentarius, Gaufrēdus Chamillardus, Benedictus de Schartis, Pavonellus filius Rainaldi Bocherii, Odo filius Hildini. Actum anno dominicae incarnationis MCVIIo, anno secundo ordinationis domni abbatis Willelmi; actum inquam per manum et consilium domni Hugonis de Rameruco qui tunc erat prior Relliaci. Porro post duos aut tres menses venit supradictus Gaufrēdus in capitulum nostrum et uxor ejus jam dicta Ermensendis, pridie idus scilicet Julii; et iteraverunt concessionem de passagio et optulerunt donum super dominicum altare per quendam baculum et recepti sunt in societatem nostram, domno Odone priore claustrī tenente capitulum. Hujus rei testes sunt, ex parte eorum: Girardus nepos ipsius Gaufrēdi, Gaufrēdus de Ulmis, Beringerius frater ejus, Florentius; de famulis nostris: Landricus hospitalarius, Ebrardus scutellarius, Donoaldus de Elemosina et Rotdaldus frater ejus, Arnulfus Bucca de Auro, Radulfus asinarius, Rotbertus Marcat Vitulum, Morinus Odelerius et alii multi.